

pa pertinentibus. In altera persecutus sum Gratiani capita epistolis, decretisve summorum Pontificum adtributa. In postrema tradidi quæ ex sanctis Patribus, aut scriptoribus ecclesiasticis Gratianus excepit. Quando vero Gratianeos canones, sive capita memoro, eos intelligo quos hodie numeralibus notis designatos post Democharis, Contii et Romanæ correctionis editiones, habemus. Duo quippe leguntur apud Gratianum, in primis conciliorum et Patrum sententiæ a collectore relatæ; deinde ipsæ collectoris sententiæ quibus quæstiones proponuntur, dirimuntur, declarantur. Sententiæ quidem conciliorum et Patrum præcipua observatione dignæ mihi visæ sunt; ipsæ enim solæ tanquam leges hodie et laudantur et habentur, propterea et nomine canonis referri, et discretis characteribus apud typographos edi solent; at sententiæ Gratiani, et si identidem exornentur quibusdam admixtis Patrum fragmentis, ut plurimum mihi erunt inobservatæ... » (In universum opus præfatio).

Præfationi autem subjunguntur apud Berardum duodecim observationes, scilicet:

I. Quales generatim esse potuerint ecclesiasticæ jurisprudentiæ codices usque ad Gratiani ætatem?

II. Quales revera fuerint peculiare sacrorum canonum collectiones ante Gratianam? Et primo de ea quæ vulgo dicitur *Codex canonum Ecclesiæ universæ*.

III. De celebrioribus vetustis Græcorum collectionibus.

IV. De collectionibus vetustis latinis, quæ peculiaribus Ecclesiis adscribuntur.

V. De cæteris latinis collectionibus ante-Gratianis, privato quorundam studio elucubratæ.

VI. Quid ex prædictis generatim sentiendum sit de Gratiani collectione?

VII. De persona, indole, et studio Gratiani.

VIII. De tempore quo Gratianus collectioni suæ operam dedit.

IX. De Gratiani methodo et ejusdem collectionis argumento.

X. De iis quæ Gratiano codici, jam per auctorem suum absoluto, accesserunt. — Ex observatione decima habet in medium proferre quæ infra subsunt. « Hæc non solum aperte indicant, inquit Berardi, *Paleas* posterioris auctoris accessiones esse, verum etiam Gratiani codicem, præsertim in fide inscriptionum, quoquomodo turbasse ut hodie appareat quasdam sententiæ a suis auctoribus omnino fuisse divulsas, illis autem auctoribus alias falso tributas. Fateor tamen hodie sive *Paleas* addita, sive fragmenta Gratiani pro canonibus sacris solere laudari, et quidem mea sententiæ parum interesse debet num monumenta quædam ecclesiastica per Gratianum, num potius per ignotum auctorem exhibeantur. Quamobrem in hoc opere meo a *Paleis* referendis minime abstinendum putavi, eandemque in ipsis ac Gratianis fragmentis perscrutandis, interpretandisque pro rei merito curam adhibui.

» Alterum accessionum genus in numerorum notis consistere asserebam. Etenim Gratianus, dum suum codicem elucubraret, nulla peculiari numerica nota unum caput ab altero distinxit, sed, veluti continuata oratione, sententiæ Patrum sententiis suis adtexuit ad instar Petri Lombardi in suis distinctionibus; quamobrem apud veteres canonum interpretes videmus laudata Gratianea capita non per numeros, verbi gratia can. 1, dist. 80, sed potius hac formula can. *Urbes et loca*, dist. 80. Primi fuerunt Antonius Contius et Antonius Demochares qui rem gratam studiosis se facturos fuisse arbitrati sunt, si canones a canonibus, adjecta numerica nota, secernerent. Idipsum fecit Antonius Augustinus eodem tempore quo Contius, sed non eundem ordinem servarunt, editionem Contii secuti sunt. Ampliores reddendæ gratæ essent Contio si, præter hoc commodum quod studiosis attulit, solertiam majorem in distinctione capitum affabre faciendâ impendisset... Non memoro amplius hoc loco, quod jam superiore observatione animadverteram, videlicet etiam posteriore manu adjectam fuisse distinctionum divisionem in tractatu *de Penitentia*, de qua in medio causæ 33 Gratianus disputandum susceperat.

XI. De Gratiani codicis mendis et ipsius correctione.

XII. De Gratiani operis receptione.

His duodecim observationibus præmissis, Carolus Sebastianus Berardi labori manum admovet, corrigendo successive omnes mendas Gratianæ sive decreta conciliorum, sive epistolas Romanorum Pontificum, sive textus sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum attingentes, ut supra fuit dictum, illustrandoque loca difficiliora. Ut autem quilibet studiosus possit animadversiones factas applicare singulis canonibus Decreti, ad calcem voluminis quarti Gratianeorum canonum index adjectus est. Istius indicis ope, quisque legens locum ubi disseritur de emendatione aut interpretatione talis vel talis canonis facile inveniet.

Igitur nemo non videt nullum canonem ex Decreto Gratiani de cætero posse tuto depromi, quin prius ejusdem canonis textus juxta Berardi correctionem fuerit, qua licebit, fideliter reformatus. Aliunde, quæ sub finem tomi IV, p. 514, auctor modeste scripsit, non parum opus ipsum commendare videntur. « Post hæc universa quibus mihi videor integrum Gratiani opus pro viribus juxta propositum illustravisse, nemo a me expectet ut cum Antonio Augustino, suis in Gratianum dialogis finem imponente, ita concludam: « Habes igitur C. quod tantopere expectabas, juris pontificii emendationem, non ex sordidis rivulis et lacunis, sed ex ipsis fontibus splendidissimis quasi Venerem quamdam e mari exorientem, quæ omnium in se oculos conyertat, et mirificos amores et cupiditates eliciat. » Novi enim apprime, et novi magis in dies, quanta adjici ad

perficiendas hujus generis elucubraciones eruditorum virorum industria possint. Habeatur iste, rogo lectorum benignitatem, tanquam conatus quidam et adambratio perdifficilis rei in qua adgredienda profiteor sane me hæsisse plurimum. Verebar etiam vehementer eruditissimorum judicia, ac nostrorum temporum rationes quæ palam prodire non patiuntur nisi quæ solida sint, et recta methodo elegantique stylo elaborata.

« Nec forte in præsentia adhuc singula conficissem, nisi acres admovissent stimulos sollicita virorum plurium doctissimorum officia qui studia hæc mea, qualiacunque sint, æqui boni fecerunt, inter quos silentio præterire non debeo gravissimum virum, qui unus vice omnium esse posset, et auctoritate summa, et mirabili prudentia, et insigni sapientia præditum, Pontificem maximum Benedictum XIV, qui meum hoc opus singulari se gratia accepisse non semel significavit. Quod mihi eo majorem jucunditatem peperit ac securitatem, quo impensius semper optavi ut nihil, non dicam scribenti, sed ne cogitanti quidem excideret quod ab Ecclesia Dei, a qua demisso animo pendeo et cui perpetuo obsequar sine calumnia, aliquando non posse recipi vel leviter suspicari. »

Hucusque Berardus. Quoad verba ex dialogis Antonii Augustini episcopi Tarraconensis deprompta, unusquisque animadvertet quantus fuerit, sæculo decimo sexto, fabularum mythologicarum abusus, etiam apud scriptores de rebus ecclesiasticis tractantes.

Cf. etiam Theiner (August.), *Disquisitiones criticae in præcipuas canonum et decretalium collectiones: seu sylloges Gallianæ dissertationum de vetustis canonum collectionibus continuatio*; Romæ, 1837.

ADNOTATIO III.

Proœmium § VI, n. 91 in fine, pag. 23.

DE AUCTORITATE DECRETALIAM IN GALLIIS.

Sæculares in Galliis jurisperiti communiter rejiciebant jus decretalium, ut asserit du Saulzet, auctor libri cui titulus: *Abrégé des mémoires du Clergé*, 1771, verbo: *Décrétales*; sed contra illos Petri de Marca, de *Concordia sacerdotii et imperii*, verba referre libet, etsi fuerint deprompta ex opere in Indicem librorum prohibitorum relegato: « Separatio ista, inquit præf. P. de Marca, et discretio ordinationis ab Ecclesiæ seu beneficii collatione, et pinguisimorum reddituum copia, novas in jus canonicum regulas inexit antiquo juri prorsus incognitas de beneficiis acquirendis, conservandis et amittendis, quæ fere utramque paginam novi juris faciunt. Matrimoniorum impedimenta novis interdictis ad tuendam honestatem publicam introducta, et revocate ad solam Ecclesiæ earum causarum cognitiones, et cognitionum quæ de hæc re habentur adstrictos forensibus formulis ordo,

novam juri canonico materiam subministrarunt. Excommunicationum infligendarum et poenitentiarum publicarum, quæ antiquo jure vigeant, temperatus jure novo rigor, novis constitutionibus applicandus erat. Non omittendæ sunt multiplices monachorum species, et religiosarum domuum diffusa per Europam multitudo, quæ novis regulis et institutis Pontificum curam ad se traxerunt. Quin et indultæ monasteriis aut canonicorum capitulis exemptiones ab episcoporum jurisdictione, et privilegia varia illis concessa varias causarum figuras a Pontificibus disceptandas præbuerunt. Quæ omnia si quis accurate expendat, non adeo laborabit de discrimine antiqui juris et recentioris, quod rerum et negotiorum varietas ab invitis Pontificibus pro utilitate reipublicæ christianæ extorsit. Itaque eo statu res Ecclesiæ nunc positæ sunt ut si quis de absoluta et integra restitutione juris antiqui et novi abolitione contendat, perinde agat ac si imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipsis regnorum initis obtinebat. Hinc etiam sequitur necessarium esse hodie Decretalium cognitionem iis omnibus qui juris canonici peritia censi velint, ea tamen lege ut antiqui juris cognitio non desatur, quo vitio laborarunt superiora aliquot sæcula...

» Eo tamen tendere videtur Leschassierii sententia, qui veram libertatem Ecclesiæ Gallicanæ antiquo jure metitur, quod curiarum decretis in usum paulatim revocari debere contendit. Nos vero, qui veteres laudamus, nostris tamen annis utendum esse censemus, et libertatem in recto antiqui et novi juris usu constituimus, necessariasque nostro sæculo decretalium definitiones, quæ novis negotiis prospexerunt, non absque manifesta ratione existimamus. Non alia mens est aut B. Ludovici aut Caroli VI et totius Ecclesiæ Gallicanæ, cum libertatem Ecclesiæ in jure communi versari contendunt. Antiquos enim canones et jus commune intelligebant quod Gratiani Decreto et Decretalibus erat comprehensum. Id manifeste probatur, non solum ex eo quod vetus codex canonum illis esset incognitus, sed etiam e concilio Constantiensi. Etenim sess. XXXIX, cum de professione fidei, a Papa edenda, caveret, non solum octo concilia œcumenica ab illo conservanda decernit, sed etiam Lateranense, Lugdunense et Viennense. Quare sæculo Caroli VI, conciliorum generalium nomine, Ecclesia Gallicana non solum vetera, sed etiam recentiora illa intelligebat. Enimvero in Gallia, quod ad disciplinam attinet, Decretalium constitutus locum damus, cum bona Pontificum Romanorum venia, quæ nostris rebus et utilitati publicæ accommodatæ sunt, id est omnibus fere, paucissimis exceptis. » (Lib. III, cap. vi.)

Hic notandum est 1º Quod Petrus de Marca veterem codicem canonum affirmet fuisse Ecclesiæ Gallicanæ incognitum, dum econtra P. Pithæus sub-

art. 41 libertatum Ecclesie Gallicane contendit hanc Ecclesiam præcipue servare omnia quæ continentur hoc veteri canonum codice; 2º quod idem de Marca doceat omnes decretales, paucissimis exceptis, apud nos recipi, et, per Decretales intelligit quinque libros Gregorii, Sextum, Clementinas et Extravagantes tum Joannis XXII tum communes; dum e contra Fleury, in opere ab Apostolica Sede legitime proscripto, *Institutiones au droit canonique*, cap. xxv, asserit dimidiam plusquam partem decretalium Gregorii, Sexti et Clementinarum in Galliis rejici. Unde videre est in quantas aberrationes, decursu temporis, quidam canonistæ Galli devenerunt. Cf. Dupin, *Manuel du droit public ecclési. français*, opus proscriptum; Lequeux, *Manuale compendium juris canonici*, T. IV, opus etiam proscriptum; sed præsertim librum, Alexandri Guillemin, in curia Parisiensi advocati, cui titulus: *Memorandum des libertés et des servitudes de l'Eglise Gallicane*, Parisiis, apud fratres Périsse; quem tutissime leges.

ADNOTATIO IV.

Procem. § VIII, n. 137 in fine; pag. 32.

DE CANONIBUS ET DECRETIS SACROS. CONCILII TRIDENTINI CUM DECLARATIONIBUS CARDINALIUM.

« Etsi Pius IV Pont. max., inquit Zambonius, *Collect. declarat. S. C. cardinalium conc. Trid. interpretum*, t. 1., in introductione § XV, in sua constitutione edita super confirmatione concilii, anno 1564, prohibuerit commentaria ac interpretationes in decreta concilii evulgari, tamen non defuerunt nonnullæ editiones præfati concilii cum additionibus declarationum sacræ Congregationis concilii, ac doctorum remissionibus. Qua de causa in Indice librorum prohibitorum ille inserta fuerunt. Nam sub die 7 septembris, anno 1609, decreto sacræ Congr. Indicis habemus in prædicto Indice: *Decisionum novissimarum Rotæ Romanæ sive sacri palatii Romani pars quarta, continens tum decisiones varias, tum declarationes conc. Tridentini habitas e bibliotheca Prosperi Farinacci.* » Insuper decreto 29 aprilis et 6 junii anni 1621 editionem Joannis de Gallemart: *Declarationes card. conc. Tridentini interpretum cum citationibus Joan. Sotuelii, et remissionibus Augustini Barbosa; et: Sac. conc. Tridentini decisiones, et declarationes card. ejusdem Conc. interpretum, præsertim secundum correctionem Petri de Marzilla.* Et ejusdem Petri de Marzilla nomine legitur in eodem Indice: *Decreta concilii Trid. ad suos quæque titulos, secundum juris methodum, redacta; adjunctis declarationibus auctoritate apostolica editis.* Item decretum sub dicta die et anno: *Declarationes Cardin. C. C. Tridentini una cum Joan. Sotuelii et Horatii Lucii adnotationibus;* et opus Augustini Barbosa jurisconsulti, inde Ugentini episcopi, qui obiit anno 1649: *Remissiones doctorum qui varia*

loca concilii Trid. incidenter tractarunt. Deinde anno 1633 edita fuerunt Lugduni: *Novæ declarationes S. R. E. Card. ad decreta sac. concilii Tridentinæ declarationibus conserta, ex bibliotheca card. Roberti Bellarmini.* Hic doctissimus fuit jesuita qui obiit anno 1621. Hoc opus in Indice librorum prohibitorum haud reperitur, sed prohibitum censetur vigore decreti generalis, quod præmittitur in editionibus librorum prohibitorum, § II, n. 3, hisce verbis concepti: « *Declarationes, decisiones, interpretationes concilii Tridentini, earumque collectiones tam impressæ, quam imprimendæ, ementito ipsius congregationis nomine;* » et præsertim vigore decreti S. Congr. concilii sub die 24 maii 1621, approbante Gregorio XV, quo prohibentur collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congregationis concilii impressæ vel imprimendæ. »

His non obstantibus, iterum Lugduni anno 1643, typis Simonis Rigand, cum permissu superiorum in lucem prodierunt *Sacros. concilii Trid. canones et decreta, item declarationes cardinalium concilii interpretum ex ultima recognitione Joan. Gallemart, cum citationibus Joan. Sotuelii.* editio postrema superioribus longe auctior, quippe plusquam quingentis declarationibus, et variis Pontificum constitutionibus, per varia concilii capita insertis, locupletata, diligenterque emaculata. Insuper hodiernis temporibus, anno scilicet 1839, sacerdos Joseph Pelella, etiam cum superiorum permissu, edidit Neapoli *Canones et decreta concilii Trid. ex editione Romana A. MDCCCXXXIV repetiti.* — *Accedunt S. Congr. Card. conc. Trid. interpretum declarationes ac resolutiones ex ipso resolutionum Thesouro, Bullario Romano et Benedicti XIV S. P. operibus, et constitutiones pontificie recentiores ad jus commune spectantes e Bullario Rom. selectæ;* editio altera Eminentiss. et Reverendiss. DD. Hieronymo de Andrea S. R. E. presb. cardinali dicata.

ADNOTATIO V.

Procem. § X, n. 190 in fine; pag. 43.

DE REBUS VERE SPIRITUALIBUS ET MERE TEMPORALIBUS.

Hic sedulo attendendum est quod auctor noster sapienter scribit: « *Jus civile considerat hominem ut dirigibilem in bonum commune reipublice politice, et ad pacificam civium inter se societatem, neque ultra progreditur; canonicum vero respicit hominem ut dirigibilem principaliter in Deum, atque consequendam ultimam vitam æternam.* » Nota hominem, non animam tantum, sed hominem totum in sua natura propria et integra, ex duplici substantia, anima scilicet et corpore, coalescentem, cum bonis et interesse utriusque respective pertinentibus. Rejiciendam ergo patet doctrinam eorum qui volunt solos actus internos pertinere ad forum spirituale, externos vero ad

temporale, et eorum qui dicunt ea esse spiritualia quæ considerantur relative ad vinculum conscientie, temporalia autem quæ considerantur relative ad effectus externos.

In istos errores impeerunt auctores famosæ constitutionis civilis cleri, anno 1790, in Galliis promulgata, necnon Portalis, occasione articulorum organicorum, et communiter jurisperiti sæculares. Sic enim Portalis: « *L'unité de la puissance publique et son universalité sont une conséquence nécessaire de son indépendance; elle n'est rien si elle n'est tout.* Lorsque, en examinant les bornes naturelles du ministère ecclésiastique, on attribue exclusivement à la puissance publique la disposition des choses temporelles; en réservant aux pasteurs les matières spirituelles, on n'entend pas laisser comme vacant entre ces limites le vaste territoire des matières qui ont tout à la fois des rapports avec la religion et avec la police de l'Etat, et qui sont appelées mixtes par les jurisconsultes, ni permettre indifféremment aux ministres du culte d'y faire des incursions arbitraires, et d'ouvrir des conflits journaliers avec le magistrat politique.... Il faut qu'il y ait nécessairement une puissance supérieure qui ait droit dans cette espèce de territoire de lever tous les doutes et de franchir toutes les difficultés. Cette puissance est celle de qui dépend l'ordre public en général, et à qui seule il appartient de prendre le mot de puissance dans le sens propre.... Aussi le magistrat politique peut et doit intervenir dans tout ce qui concerne l'administration extérieure des choses sacrées. » (*Discours, rapports, etc. sur le Concordat de 1801.*) Nullum perfectius systema excogitari potest ad excusandos principes, fidei infensissimos qui, sub ementito colore rationum status, prædicationem evangelicam, vitamque christianam, in toto vel in parte proscripserunt, et ad plectendos signo et caractere civilium rebellium innumeros et generosos martyres qui sanguinem suum fuderunt, ac etiamnum fundunt, pro veritate catholica observanda, divulganda et tuenda.

« Il n'y a donc pas lieu de s'étonner, inquit cardinalis Gousset, en voyant l'Eglise condamnée comme hérétique ceux qui, d'après Marsile de Padoue et autres novateurs, enlèvent aux prélats toute juridiction extérieure, à l'exception de celle que le magistrat aura bien voulu leur accorder.... Le concile de Sens de l'an 1527, s'appuyant sur les saintes Ecritures, a déclaré que la puissance ecclésiastique est indépendante de la puissance civile, qu'elle est fondée sur le droit divin, en vertu duquel elle peut établir des lois pour le salut des fidèles et punir les rebelles par des censures légitimes.... Le P. Laborde, de l'Oratoire, ayant renouvelé les erreurs de Marsile dans ses *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances, spirituelle et temporelle*, ouvrage qui a

été traduit en polonais, le grand pape Benoît XIV proscrivit ce livre comme contenant des propositions captieuses, fausses, impies, erronées, hérétiques, déjà condamnées comme telles par le Saint-Siège, et en défendit la lecture, sous peine d'une excommunication majeure à encourir par le seul fait, dont l'absolution est réservée au Pape, si ce n'est à l'article de la mort (*Ad assiduas*, 4 mars 1755). Pie VI n'est pas moins exprès. Par la bulle *Auctorem fidei* de l'an 1794, il condamne comme hérétique une proposition du synode de Pistoie, en tant qu'elle affirme que l'Eglise abuserait de son autorité si elle en étendait l'exercice aux choses extérieures. Et si l'on prend cette proposition dans ce sens que l'Eglise n'aurait pas reçu de Dieu le pouvoir d'ordonner par des lois, de réprimer et de forcer les rebelles par un jugement extérieur et des peines salutaires, le même Pape la censure comme conduisant à un système déjà condamné comme hérétique...

« On nous objectera peut-être que l'Eglise ne peut exercer sa puissance sur les choses extérieures, sans l'exercer, au moins indirectement, sur le temporel. Cette objection, si on la faisait, ne serait pas sérieuse; elle ne serait qu'apparence, et encore ne le serait-elle qu'aux yeux de ceux qui n'ont aucune idée du ministère sacré. Au for intérieur, comme au for extérieur, l'Eglise n'agit-elle pas sur le temporel des fidèles lorsqu'elle leur impose l'obligation d'entendre la messe les jours de dimanche et de fête, et leur interdit de vaquer, en ces saints jours, aux œuvres serviles: lorsqu'elle leur prescrit des jeûnes et des abstinences; lorsque, au tribunal de la pénitence, comme au tribunal de l'officialité, elle prononce la validité ou la nullité du mariage?... Nous le répétons, vouloir que la discipline de l'Eglise soit purement intérieure, parce que sa puissance est spirituelle, c'est vouloir une chose contre nature, ou bien que la discipline qui règle le culte extérieur dépende, soit du caprice de chaque particulier, soit de l'arbitraire des gouvernements. » (*Exposition des principes du droit canonique*, Paris, Lecoffre, 1839.)

Quapropter, brevi diei 22 augusti 1831, Sanctissimus D. N. Pius PP. IX damnavit opus inscriptum: *Juris ecclesiastici institutiones Joannis Nepomuceni Nuytz, in regio Taurinensi Athenæo professoris*, itemque: *In jus ecclesiasticum tractationes auctoris ejusdem.* Quandoquidem, palam et aperte in editis dicti auctoris libris asserit: « *Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem, vel directam, vel indirectam.... Præter potestatem episcopatus inherentem, aliam esse attributam temporalem civili imperio vel expresse vel tacite concessam, revocandam propterea cum liberit a civili imperio; civili potestati, vel ab infideli imperante exercita, competere potestatem indirectam negativam*

ia sacra; civilem potestatem, ab ecclesiastica si damno afficiatur, sibi consulere potestatem indirectam negativam in sacra; illi competere nedum jus, quod vocant *exequatur*, sed vero etiam appellationem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalere, etc... »

Idcirco « prædictos libros (sunt verba brevis apostolici) tanquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem injurias, ejusdem juribus derogantes, Ecclesiæ regimen et divinam ejus constitutionem subvertentes, schismaticas, hæreticas, protestantismo ejusque propagationi faventes et in hæresim, et in systema jamdiu ut hæreticum damnatum in Lutero, Baio, Marsilio Patavino, Janduno, Marco Antonio de Dominis, Richerio, Laborde et Pistoriensibus, aliisque ab Ecclesia damnatis inducentes, necnon et canonum concilii Tridentini eversivas, reprobamus, damnamus, ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. Præcipimus idcirco ne quisquam fidelium cujuscumque conditionis et gradus, etiamsi specifica et individua mentione dignus esset, audeat præfatos libros ac theses apud se retinere aut legere sub pœnis suspensionis a divinis quoad clericos, et quoad laicos excommunicationis majoris, ipso facto incurrendis, quarum absolutionem et relaxationem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, excepto tantum quoad excommunicationem mortis articulo. Mandamus quoque typographis, ac bibliopolis, cunctisque et singulis cujuscumque gradus et dignitatis ut, quoties prædicti libri ac theses ad eorum manus pervenerint, deferre teneantur ordinariis sub iisdem respective pœnis... Neque tantum memoratos libros, ac theses, sed alios, aliasque, quoscumque sive scriptis, sive typis exaratos libros, vel forte exarandos et imprimendos, in quibus eadem nefaria doctrina renovetur ex integro, aut in parte, sub iisdem pœnis superius expressis damnamus, reprobamus, atque legi, imprimi, retineri omnino prohibemus. »

Cf. etiam Reiffenstuel Tit. II, de *Constitutionibus*, § 3, pag. 112. et seqq.

ADNOTATIO VI

Proœmium § XII, n. 223, p. 52.

DE JURE CIVILI GALLICO UTPOTE AD CONSCIËNTIAM SPECTANTI.

Sub hoc titulo lectoribus studiosis volumus indigitare sequentes libros tanquam consulendos :

Le Code civil commenté dans ses rapports avec la théologie morale, ou Explication du Code civil, tant pour le for intérieur que pour le for extérieur, a R. D. Th. Gousset, vicario generali Bisuntino, nunc archiepiscopo Remensi et S. R. E. presbytero cardinali; tertia editio, Valentia in Galliis, Jamonet, 1836.

Le droit privé, administratif et public dans ses rapports avec la conscience et le culte catholique, a R. D. Corbière, Ecclesiæ Augustodunensis canonico honorario; Lugduni et Parisiis, apud fratres Périsset, 1841.

L'Économie sociale au point de vue chrétien, ab eodem R. D. Corbière; Parisiis, A. Jouby, 1863.

Quibus sane addendi sunt auctores catholici qui de theologia morali, de justitia et jure, de restitutione et de contractibus ex professo tractant.

ADNOTATIO VII.

Proœmium § XIII, n. 232, p. 54.

DE MODO CITANDI JUS CANONICUM ET JUS CIVILE ROMANUM.

Quoniam auctor noster in Proœmio nullibi rationem usitatam in scholis et in libris citandi et allegandi varios textus juris utriusque indicaverit, non videtur supervacaneum, præsertim in gratiam tironum, notiones ea de re certas hic opportune tradere.

I. Quoad jus canonicum.

Gratiani decretum, ut dictum fuit, tres partes complectitur. Capita, quibus constant tres illæ partes, communius vocantur *canones* et sic allegantur. Primo verbo canonis præponitur vox *canone* vel brevius *can.* vel etiam *C.*, et postponitur numerus ejusdem canonis. Hæc regula pro tribus partibus viget. Porro prima pars 101 *distinctiones* habet; quando ex hac parte textus aliquis eruitur, formulæ generali additur vox *distinctione*, vel *dist.* vel *D.* cum numero distinctionis, exempli gratia : *can. Obitum* 16, dist. 61. Secunda pars XXXVI *causas* tenet, et unaquæque causa *questionibus* coalescit; tunc formulæ additur numerus Romanus indicans causam, quem sequitur vox *questione* vel *quest.* vel *Q.* cum numero questionis hunc in modum : *can. Sacerdotibus* 41, II, quæst. 1. Attamen canones causæ XXXIII, quæ de pœnitentia tractat, allegantur ut fit pro canonibus primæ partis; adjiciuntur tantum verba de *Pœnitentia*, vel de *Pœnit.* sic : *can. Perfecta* 8, dist. 3, de *Pœnit.* Decreto tandem tertiæ partis, quæ de *Consecratione* inscribitur et quinque *distinctiones* præbet, eadem ratione citantur scilicet : *can. Nemo* 9, dist. 1, de *Consecratione*.

Decretales Gregorii IX quinque libros complectuntur, et unusquisque liber titulos habet, titulus autem *capita*, caput paragraphos et aliquando partes decisas. Quando Decretales allegantur, nulla fit mentio sive de libro, sive de numero tituli, sed tantum enuntiantur prima verba capitis cum numero ejusdem capitis et inscriptione tituli, verbi gratia : *cap. Cum non ab homine* 10, de *Judiciis*. Intelligit lector, qui codicem Decretalium una aut altera vice inspexit, recurrendum esse ad caput decimum tituli primi, qui de *Judiciis* inscribitur,

libri primi. *Paragraphi* sunt variae phrases capitulum, et partes *decisæ* dicuntur fragmenta prius ex capite resecata, quæ correctores Romani ad calcem quandoque subjunxerunt, alium adhibentes characterem.

Sextus eodem modo citatur; adduntur verba *In Sexto*, et frequentius scribitur in 6. Sic : *cap. Si super gratia* 9, de *Officio judicis delegati*, in 6.

Clementinæ allegantur præmittendo *Clem.* Item Extravagantes Joannis XXII, præmittendo *Extrav. Joan. XXII*; communes, *Extrav.*

II. Quoad jus civile Romanum.

Apud Justinianum significat Institutiones Justiniani.

Auth. indicat novellam in Authenticis quaerendam.

C. vel *Cod.* codicem; *C. Theod.* codicem Theodosianum.

D. vel *Dig.* Digestum, seu librum Pandectarum; ff. Pandectas.

L. legem. Fragmenta Pandectarum vocantur leges et sic citantur, ad instar decretalium : *L. Saepe*, ff. de *Sponsalibus*.

Lib. librum.

Nov. novellas.

Par. vel § diversos paragraphos legis; singuli a primo verbo citantur.

Rub. rubricam. Rubricæ sunt tituli in quos liber dividitur.

Sum. summaria, dicta etiam paratitla.

Tit. titulum; titulus *caput* quandoque dicitur.

ADNOTATIO VIII.

Lib. I. Decret. Tit. I, de summa Trinitate et fide catholica, § IV, n. 76; pag. 73.

DE FIDE CATHOLICA PER SYMBOLA ET CONSTITUTIONES DOGMATICAS DECURSU TEMPORIS ENUCLEATA.

Unicuique studioso precibus iteratis commendabimus duo præcipue opera, quæ rem ab auctore nostro tractatam plurimum illustrent.

Primum : *Enchiridion symbolorum et definitionum quæ de rebus fidei et morum a conciliis œcumenicis et summis Pontificibus emanarunt*; Wirceburgi, edidit in auditorum usum Henricus Denzinger, philosophiæ et theologiæ doctor, et in universitate Wirceburgensi dogmatices professor ordinarius. Sanctissimus D. N. Pius PP. IX librum hunc ab auctore oblatum benignissime suscepit, rescripsitque illum « præclare de religione deque Ecclesia meruisse. » Sic propositum explicat Denzinger : « Inter multa quæ temporum iniqua conditio scholis catholicis intulit mala, id potissimum studiis theologis nocet quod a multis positiva, ut dicant, credendi agendique documenta, publice Ecclesiæ auctoritate sancita, vel ignorentur vel negligantur, nimiumque proprio ingenio indulgeatur. Quo fit ut, sanctis-

sima fidissimæque doctrinæ ecclesiasticæ loca, ridicula et absurda hominum, qui semper discurrunt, nunquam vero ad scientiam veritatis perveniunt, commenta venditentur. Nos autem, dilectissimi auditores, id pro certo habeamus Ecclesiæ præscripta firmissimum illud esse fundamentum, cui omnis de divinis rebus speculatio nostra superstruenda, regiam illam viam, in qua nobis jugiter proficiendum, a qua tamen nunquam, neque ad dexteram, neque ad sinistram, recedendum est; nisi velimus a christiana fide ad paganam opinandi licentiam deficere, et damnatum illud a sancta Sede principium statuere, *rationem principem, normam æ unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem* (Gregorii XVI breve diei 26 sept. 1875 adversus Hermesium). Hinc est quod vobis Symbola, definitionesque conciliorum atque Pontificum brevi compendio collectas offeramus, ut fines a patribus statutos facilius noscatis, certa mente confidentes vos eo magis in intellectu veritatis, quantum scilicet hujus vitæ conditio sinit, profecturos, quo majori fidei pietate a magistra Ecclesia discere studueritis. » Ad calcem libri subjiciuntur indices duo, prior scilicet documentorum, posterior vero materiarum systematicus accuratissime confectus.

Secundum : *Histoire du développement de la doctrine chrétienne*, a J. H. Newman, vernaculo sermone conscriptum, et in gallicum idioma translatum Julii Gondon opera, Parisiis, A. Bray. Ut idea libri perspiciatur, consulatur *Bibliographie catholique*, tom. VII, pag. 406.

Insuper oportet multum ponderare illa quæ sapientissime inculcat Sanctissimus D. N. Pius PP. IX, in litteris apostolicis diei 8 decembris 1854, pro definitione dogmatica Conceptionis Immaculatæ B. M. V. videlicet : « Et re quidem vera, hanc de Immaculata beatissimæ Virginis Conceptione doctrinam, quotidie magis gravissimo Ecclesiæ sensu, magisterio, studio, scientia ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mandandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam, ac revelatæ doctrinæ caractere insignitam, illustra venerandæ antiquitatis Ecclesiæ orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia, sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando, si qua antiquitus informata sunt et Patrum fides servit, ita limare, expolire studet ut prisca illa cœlestis doctrinæ dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. »